



Die  
ss

not

#

4h 39

SCHEDIVM  
DE  
COLVMNA ROSTRATA  
C. DVILI M. F. COS

---

QVO  
PATRONOS ET FAVTORES  
VT  
ORATIONIBVS

A'D' V APRIL' HOR' IX IN SCHOLA SENATORIA

HABENDIS

INTERESSE PRO SVA HUMANITATE VELINT

OMNI CONTENTIONE ROGAT

M· CONRADVS NAHMMACHER  
RECTOR SCHOLAE OPPIDANAЕ HELMSTADIENSIS ET  
COENOBII MARIEVALL' SVEPRIOR

---

HELMSTADI  
STANNO DRIMBORNIANO

SCHERIA  
COLAMNA ROSTRATA  
e DALI M E COS

670  
PATRONOS ET PATORES

ORATIONIBVS

X. D. V. ALARIC. HON. II. IN SCHOLIA SANTORIA

HABENDIS

INTENSAE PECUNIA AVA NICHIL MANATUM AYNT  
OMNI CUSTODIIS SOG

M. CONRADAS NVMINACHER  
BESUCHT SCHOLIA SPITHEMANN IN LUDWIGSBURG ET  
CENSUS MARIBURG. BARBURG

ІІІ  
ОБРАЗОВАНИЕ ОИКАЗ

SCHE DII  
DE  
COLVMNA ROSTRATA  
C DVILI M F COS  
CAPVT I  
DE C DVILI GESTIS

I

**N**isi aliae complures cauffae, ob quas inscriptionem, in bafi columnae rostratae reperiundam, induſtrius scrutaremur, suppeterent: vna haec poterat sufficere; quod illa antiquissimum est omnis Latinitatis monumentum. Iam, quum DVILII historia, multum, ad plenius intelligendam hanc ſcriptionem atque perſpiciendam, faciat; eam non ignoraffe iuuabit. Vtrum vero, DVILIUS ſive DVILIOS, (vt iam de nomine ordinar,) an DVILLIUS; an VILIVS; an DVELLIOS; an BILIOS, ille, cui dedicata haec columna eft, ſit dicendus; inter eruditos diſceptatur. Mihi quidem, potior ea, quam primo loco commemorauit ſcriptio, videtur eſſe: propter hanc cauffam, quod illa, tribus apud HVBERT. GOLTZIVM numis; (a) item apud FLORVM, et CICERO-NEM, (non autem GRAEVII in exemplis,) reperitur. Ut iam non commemorem, eamdem ſe STEPH. VINAND. PIGHIO, LAVENT. BEGERO, aliis, probafſe. Quod ad alteram illam ſcriptionem, qua vnum L additur, attinet;

A 2

(a) Numiſinata commodiori in loco adferam. Sed, in marmoribus etiam Capitoliniſ, ea

ſcriptio obtinet. Videsis eundem, in Faſis, p. 22. 35. 37. et

ea apud TACITVM (b) habetur. Sed, quo minus haec iusta existimetur esse, obstat hoc, quod apud QVINCTILIANVM (c) legitur: CICERONIS demum temporibus et paullo infra, consonas literas fuisse geminatas. VILIUS pro DVILIVS, CIACCONIUS, (d) in veteri quodam PLINII manuscripto, (e) reperit. quod eodem loco, quo id, quod PIGHIVS (f) commemorat, habuerim: qui, se apud SEXTVM RVFVM, D. IVLII, pro DVILII legisse, affirmat. Nempe in illo, a Literatore; in hoc RVFI, a typographo, titubatum est. DVELLIOS, apud QVINCTILIANVM quidem (g) occurrit: sed inde non consequitur, ut ita etiam scribendum sit: E enim, et I, literae, frequenter commutatae inter se sunt, ut Venetiis, in Episcopi Turricellani palatio, legitur: LIB. MEO. THEMESTHOCLETI, pro THEMISTOCLETI: (h) et vice etiam versa, CERIALIS pro Cerealis, Memmia gentis in

(b) *Annal. Lib. II, p. 61.* (Edit. LIPSII.) Est quidem Duilius etiam nomen, per geminum LL exaratum, apud GRVTERVM, in monumento, quod Aquini repertum est: sed alii attributum personae. *Pag. DCLXI, n. 8*

(c) *Inst. Lib. I, cap. VII. Conf. ZECH. SPANHEMIVS, de Praefantia et Vſu Numism. Dissert. II, p. 121 et 122* (Edit. Lond.)

(d) *In Opusculis, p. 3.* Integer huius libri rarissimi, quem mihi, humanissimus Guelphicae Mineruae Sacerdos, sufficit, ita habet: PETRI CIACCO-

NII Toletani opuscula. In columnac rostratae inscriptionem de ponderibus, de mensuris, de nummis. Romae, ex Typographia Vaticana, MDCVIII. Exhibet autem CIACCONI columnae rostratae explicacionem, etiam GRAEVIVS, in *Theb. Antiquit. Tom. III, pag. 1811*

(e) *Lib. XXXIIII, cap. V*

(f) *In Annalibus Romanorum, Tom. II, p. 24* (Edit. Antverpiæ ex officina Plantiniana, Ann MDCXV)

(g) *Lib. I, cap. IV, et cap. VII*

(h) *Apud GRVTERVM, p. CCCLX, n. 1*

in numero, adest. Tandem CIACCONIVS, BILIOS legendum esse, pro DVILIVS, autumat; quod CICERO, nihil fuisse olim licentius, quam ut hominum etiam nomina contraxerint, quo essent aptiora, idque in BELLIVS etiam, (legit autem CIACCONIVS, BILIOS,) pro DVILIVS, factum fuisse refert, quo etiam QVINCTILIANI, quem commemorauit, locus collinat. Atque hoc ita omnino se habet. Enim uero, poterat tamen excipi, id intelligendum esse de eo tempore, quod proxime elapsum fuerit: (i) vnde enim nosse CICERO poterat, imperatori, iustum nomen Duilium, non Baulium, aut aliud quadrupam, fuisse: nisi id scriptum in columna rostrata existisset. Quid, quod PIGHIVS, sibi a NICOLAO FLORENTIO Batauo, qui Romae degit, relatum esse testatur, in columnae rostratae basi, reperiri literas, c. d. id est, c. DVILIVS, quas etiam literas BEGERVS, in ea describenda non omisit. Nihil itaque est quod negemus, eum, ad quem haec inscriptio pertinet, DVILIVM fuisse conuocatum. Ceterum, in praenomine CAIVS, notandum hoc, id in pandectis Capitolinis, iam per C; iam per K, exscriptum esse

## II

C. DVILIO, MARCVM fuisse patrem, et item auum MARCVM, apud Capitolinorum Fastorum autores, vide re est. Porro, duxisse DVILIVM, BILIAM virginem,

A 3 tanta

(i) Fuerunt autem ducenti fere, a DVILIO Consule, ad CICERONEM anni; quo inter- ualio temporis, pronunciatio, variis potuit modis demutari. Ceterum, de POLYBII loco,

(Lib. I, Hist. cap. XXIII. p. 10.) ad quem CIACCONIVS prouocat, vide PIGHIVM, Tom II, p. 22. Putat autem in eo perperam legi, Γαῖος Λίθιος, pro Γαῖος Βίλιος

tantae pudicitiae, ut illo quoque saeculo, pro exemplo fuerit; quo pudicitia monstrum erat non vitium, D. HIERONYMVS memoriae prodidit. Consul autem, vna cum CN. CORNELIO, A. V. C. CCCXCIII factus fuisse; (k) et eodem etiam anno, se in Siciliam contulisse, videtur. Iam, quid in Sicilia, et praecipue apud Liparas, gesserit, POLYBIO potissimum, ZONARA, OROSIO, EUTROPIO, CICERONE, VALERIO MAXIMO, et FLORO, auctoriis, referam. Res ita se habet. Postquam HIERO, Siculorum rex, qui Poenis auxilium tulerat, prius esset a CLAVDIO vietus, quam hostem vidisset; nec eum præteriret, VALERIVM MAXIMVM, atque ORACIVM CRASSVM, Consules, multa Siciliae oppida in deditio[n]em accipere; ita animum contraxit, ut pacem peteret. Romani, prosperis hisce eventis (l) elati; se ad eas etiam Siciliae vrbes, quas tum Poeni tenebant, contulerunt; nec tamen villa, praeterquam vna Egesta, cuius ciues se, ob mutuam cum Romanis necessitudinem, vltro dediderunt, fuere potiti. Quod ybi cognitum a Poenis est: rediit in antiquum vulnus, et male sana cicatrix. (m) Itaque classis, cui ANNIBAL praefectus erat, Italiae est ad oras appulsa: AMILCAR autem, Siciliae quasdam vrbes, obfidione cinxit. Contra ea, CN. CORNELIUS forte lectus est, ut mari; C. DVILIUS, ut terrae bellum gereret. Atque ille

qui

(k) Reuocauit hoc ad calculos  
PIGHIVS, l.c.(l) Quo etiam referendum hoc,  
quod Etruriae res, ex voto Romanorum, compositae erant(m) Spectat hoc ad ANNONEM,  
Mamerinis praefectum, qui

in carcerem Romano est a milite coniectus. Vid. PETR. IOSEPH. CANTELLO, de Rom. Republ. cap. IV, p. 54. Ceterum, hinc belli Punici initium videtur esse repetendum

quidem ocius, (n) classem centum sexaginta nauium comparauit, ita, ut non arte factae, sed quodam munere Deorum conuersae in naues, atque mutatae arbores vide-rentur. (o) Caudicariae istae naues dictae sunt. et propter hanc quidem caussam, quod arborum caudices, in nauibus conspicienda esse. (p) Non satis autem prouide rem CORNELIUS gessit: quod septendecim (q) nauibus, Liparas (r) contendit. quo etiam in loco, antequam explicare classem poterat, circumuentus est a hostibus. Atque BODE, legatus ANNIBALIS, eum, quasi de pace asturus, euocauit: vincitumque ad Poenos misit, naues autem omnes dissipauit. (s) Cuius rei fama, quum

ad

(n) Nempe intra sexagesimum diem, quam caesa silua fuerat, centum sexaginta nauium clas-sis, in ancoris stetit. FLORVS, Lib. II cap. II, n. 7. Sed SCI-PIONIS tamen celeritas, qui intra quadraginta et quinque dies, classem comparauit, maior omnino fuit

(o) FLORVS, l. c. Quod tamen ipsum ad DVILIVM, in columnae rostratae inscriptione refertur, de quo infra

(p) Hinc APPVS etiam CLAV-DIVS, cognomentum CAV-DICIS videtur traxisse: legitur enim in Faſis Capito-lini apud GOLTZIVM, (p. 85. Edit. Brugis Flandrorum Ann. MDLXXI.)

AP CLAVDIVS C· F· AP· N· CAVDEX

(q) Fuisse omnis classis adhiben-

da. Vid. PIGHIV M l. c. p. 22

(r) Antequam Liparas peruenit, Messanam appulit. Quod ad Liparas autem attinet, dispu-tatum est, utrum huic insulae nomen sit a LIPARO, quem regem AEOLO succeſſisse, PLINIVS commemo-rat; an vero a VULCANI flammis. Atque hoc, e THEOCRITI Idyll. II, solet deduci. Ceterum monet DVLODORVS, septem omnino insulas fuisse, quibus a principi nomen fuerit. Vid. BEGERVM in Thefauro Brandenburgico, Tom. I, p. 360. vbi duo etiam, huius insulae numi, exhibentur

(s) Alia etiam iniuria Romani a Poenis sunt laceſſiti: nam AMILCAR, multos e militi-bus, quibus c. CAECILIVS praefectus erat, per dolum in-

ter-

ad c. D V I L I V M esset delata, oppido ad classem traiecit. Neque non intelligebat imperator, vt erat sagacis ingenii, qui fieri potuerit, vt C N. CORNELIUS inclusus sit a Poenis. Reponebat enim caussam huius rei, in eo, quod celeres, vt FLORVS refert, atque volucres hostium : graves autem tardaeque Romanorum naues erant. Itaque, vt ne sibi deesset imperator, ferreas manus siue harpago-  
nes, (t) atque coruos (v) parauit. Clasico dato, Poen-  
nus nautica arte illudere Romano ; detergere remos ; leui  
flexu rostra euitare : contra Romanus, artem arte vincere ;  
leues flexus coruis impedire ; harpagonibus ad se quassas

rates

teremitt : atque effectit, vt C.  
CAECILIVS Egestae vrbis,  
opem ferre iam non posset.  
Conf. CIACCONIVS, l. c.

p. 6  
(t) Id est, afferes ferreo vnc  
præfixos. LIVIVS, 39. io. 13

(v) Fuere corui, machinae tu-  
endis vrbibus excogitatae, quas  
aut Tyrii ; aut PERICLES ;  
aut APPIANVS, invenerunt. PO-  
LYBIUS CORVIOS (*νορφάδες*) hunc  
in modum describit : Στύλος ἡ  
πηγέσιος σφρυγόλος εἰσῆνε, μῆνος  
μὲν ἐργατῶν τεττάκου, πατὴ δὲ τὸ  
πλάτος τριῶν παλμών. ἔχων τὴν  
διάμετρον ἑπτά. ὀπὸς μὲν ἐπὶ τῆς  
κορυφῆς τροχόλαβον εἶχε. Lignea  
quædam in proris columnæ  
fuit affixa, cuius longitudo  
quatuvr vñtarum: latitudo au-  
tem, trium fuit palmarum.  
quæ iusta vius dimensio est. In  
columnæ autem apice rotam  
quamdam constitutæ. Paucis

interiectis ita pergit : Ἐπὶ δὲ  
τῇ πέρατος αὐτῆς, προσθέμενοι στῦλον  
ἔναν ὑπερον ἀποξυνέμενον. ἔχον  
συντύλουν ἐπὶ τῆς κορυφῆς, ἀς τὸ  
ἔδον φανεῖται παραπλήσιον τῷ  
περιοπετεῖοι μηχανήσι. In ex-  
tremâ lignî parte, ferrum,  
mallei inßlar præacutum : et  
annulus inſuper, fune fuit al-  
ligatus, ita, vt corui frumentariæ  
machinas referrent. Lib. I Hisfor. p. 10. (Ed. Basil.  
ann. MDXLIX.) Per τα-  
τύλουν, vncum velim, atque  
hamatum ferrum intelligi,  
quo, laxato fune, scalæ in  
hostium naues dimittebantur.  
Coruos autem ei ferreas ma-  
nus, non vnum atque idem  
fuisse, e CVRTII, Lib. III,  
cap. II, intelligitur. Vid. quæ  
PREINSHEMIVS, ad FLORI  
Lib. II, cap. II, p. 225, (BEGE-  
RI in exemplis,) est commen-  
tatus

rates pertrahere ; manus conferere cum Poeno ; mersare naues. neque enim Poeni Romanos sustinuerunt, quum eo ventum esset, vt *quasi in solido*, ita enim **FLORVS** effert, decerneretur. Quin, ipse **ANNIBAL**, conclamatum esse de Poenorum classe videns, aliam desiliit in nauim, et tergora hosti dedit. (x) Alii tabulis se commiserunt. ac toto fere aequore, antennae, transstra, remigia, erant disiecta. Atque ita **DVILIVS**, deuictis Poenis, auctus manubiis multo maximis, discessit ; atque **Egestanos, AMILCAR E** non repugnante, in libertatem afferuit

## III

HOC paeclaro facinore perpetrato, primus maritimum triumphum, **DVILIVS** imperator, egit. Patet hoc, ex insigni, qui apud **GOLTZIVM** (y) extat, numo. cuius vna pars, caput **DVILII** refert : in casside, qua exornatum est, binae conspicuntur alae. atque stella insuper ei est admota : altera in parte, **NEPTVNVS** quadrigis insistens, dextra tridentem tenet ; laeva autem, lora dat secundis. Epigraphe haec est : c. **DVILIVS**. In ima numi parte, **ROMA**, legitur. Idem inscriptio arguit, quae fastis in Capitolinis, (z) deprehenditur. quam ita habeat.

C

(x) **ANNIBAL**, Carthaginem reuersus, Poenos interrogavit : vtrum pugnandum sibi sit; nec ne : quum pugnari vellent ; feci, inquit, et *victus sum*. quo poenam effugit : puduit quippe punire ob id, quod ip sis auctoribus factum esset. **CANTELIVS**, cap. IIII, p. 55

(y) *Fasf. pag. 87.* Alius apud eundem **DVILII** numus habetur, in cuius aduersa, **CASTOR** et **POLLVX**, equis insidentes: in auersa, galeatum **DVILII** caput, exhibentur. Inscriptum numero : C **DVILI M F**.

(z) Apud eundem, p. 87

B

## X

C: DVILIVS M: F: M: NEPOS  
 COS  
 PRIMVS NAVALEM  
 DE SICVLEIS ET CLASSE POENICA  
 EGIT  
 K: INTERKALAR:

Iam tempus, quo DVILIVS triumphum egit: definitio non ausim. GOLTZIUS, (aa) PIGHIUS, (bb) BEYERVS (cc) atque CANTELLIO, doctissimi homines, conueniunt in eo, id A. V. C. CDXCIII factum fuisse. quorum etiam auctoritati, plurimum tribuerim: CALVISIUS, (dd) DVILIVM A. V. C. DV triumphasse, existimat: DIONYSIUS vero PETAVIUS, (ee) NORISIUS ac NIEVPOORT, annum CDXCIII constituant. Kalendis autem interkalaribus, quae in mensem Nouembrem inciderunt, id accidisse, ex Capitolino marmore, cuius inscriptionem adduxi, potest intelligi. Non autem vnius diei triumpho, contentus imperator fuit; sed per vitam omnem, vt FLORVS ait, *vbi a coena rediret, praelucere funeralia, praecinere sibi tibias iussit, quasi quotidie triumpharet.* (ff) Atque ita eum incidentem,

CATO

(aa) Faſt. p. 86

(bb) Annal. Tom. II, p. 21

(cc) Ad FLORI, Lib. II, cap. II, p. 227

(dd) Pag. 332. Refert autem DVILIVM triumphasse anno, ante C. N. CCLVIII. Iam si sumas, Romanum conditam esse, ann. DCCLIII (Paliliis,) ea erit eius, quam commenmo-

raui, sententia

(ee) Primus naualem, inquit, victoriam Romanorum adepus est, c. DVILIVS, bello anno quinto. Refert autem belli Punici initium, ad A. V. C. LXXXVIII. Ration. Temp. Part. I, Lib. IV, cap. I, p. m. 177

(ff) Lib. II, cap. II, p. 229



CATO puer, non raro vidit. (gg) Sed, iam consideranda columna, quae ipſi fuit dedita

C A P V T II  
DE C O L V M N A E R O S T R A T A E F I G V R A  
A T Q V E E I V S D E M A N T I Q V I T A T E

## I

**A**VR in fine saeculi **xvi**; aut in saeculi **xvii** initio, columnae rostratae basi, effossa e ruderibus est, et quidem inter Septiminianum arcum, et Capitolii radicem. Paro est e marmore confecta. Sed dolendum, scriptio-  
nem, quae in ea inuenitur, laceram multis in locis esse,  
atque mancam. Iam vero, e GRVTERO, (hh) CIACCO-  
NIO, PIGHIO atque BEGERO, loquelas et literas, quae  
vel hodie in basi ista conspicuntur, describam : (ii)

B 2

C D.

(gg) CICERO, in C A T O N E  
M A I O R E , cap. XIII, p. 153  
verba eius haec refert: c.  
D V I L I V M , M. filium, qui  
Poenos classē primum deuicerat,  
redecentem a coena scēnū saepē  
videbam puer, delectabatur cre-  
bro finali, et tibicine, quae si-  
bi nullo exemplo priuatus sum-  
ferat: tantum licentiae dabant  
gloria  
(hh) Pag. CCCIII. n. i. Refert

eam L I P S I I e schedis, qui  
eamdem vidit atque descri-  
psit

(ii) Scriptio, in uno tantum ba-  
ses latere, reperitur. No-  
tandum autem, lineas, a de-  
cima quarta, usque ad decimam  
nonam, non iam a margine  
bases duci, quod, quo sit  
conflio factum, ignoratur.  
Vid, CIACCONIUS, p. 32

C D - - - M F M N C  
- - - - ANO - - -  
D EXEMET LECIONES - - -  
AXIMOSQE MACISTRATOS L - -  
OVEM CASTREIS EXFOCIONT MACEL - -  
VCNANDOD CEPET ENQUE EODEM MAC - -  
EM NAVEBOS MARID CONSOL PRIMOS C - -  
LASSESQE NAVALES PRIMOS ORNAVET PA - -  
CVMQVE EIS NAVEBOS CLASEIS POENICAS OM - -  
SVMAS COPIAS CARTACINIENSIS PRAESENTE - -  
DICTATORED OL - - OM IN ALTOD MARID PVCN - -  
QVE NAVI - - T CVM SOCIEIS SEPTEM - -  
OSQVE TRIRESMOSQE NAVEIS X - -  
OM CAPTOM NVMEI cccccc cccccc  
TOM CAPTOM PRAEDA NVMEI cccccc  
CAPTOM AES cccccc cccccc cccccc cccccc  
ccccccc cccccc cccccc cccccc cccccc  
QVE NAVALED PRAEDAD POPLO - -  
CARTACINI N - - NVOS D  
EI - - - CART - -

Haec de basi. Ipsa columnă hodie non superat. Sed figura tamen eius, Romae delineata habetur, et ANTONII  
LAURE

LAFRETI, atque TRAMEZINORVM fratrum formis ahenis, est euulgata. PIGHIUS item, atque BEGERVS, eamdem exhibuerunt. In eius stylobata, quaedam ornamenta, (vt exscripta ab his est, quos nominaui, viris,) habentur; hinc non obelisci in morem columnae, sed rotunda exurgit forma, et rostra autem ubique sunt affixa, (kk) in quibus ferreae manus, harpagones, et corui, conspicuntur. Epistylia autem loco, simulacrum DVILII iconicum, columnae fuit impositum. Potest etiam, quae columnae rostratae figura fuerit, aliquo modo ex AVGVSSTI quodam, quod BEGERVS (ll) exhibet, numismate, perspici

## II

ATQVE DVILII, quae hodie superat, columnae; aut verius columnae DVILII basis: antiquissimum Latinae linguae monumentum, asseritur esse. quod non eo est accipiendum, quasi nulla hodie scriptio suppetat, quae, ante plures retro annos, exarata fuerit: nam, in numis non modo, sed Fastis etiam Capitolinis, apud GOLITIVM, (mm) PANVINIVM, (nn) alios, habentur quaedam inscriptiones, quae propria ad Romae natales accedere videntur: sed id mihi volo, in iis, quae Romae in Capitolio afferuantur

B 3 monu-

(kk) SILICVS ITALICVS columnam rostratam, hunc in modum describit:

*Acquorum iuxta decus, et  
navale tropaeum,  
Rostra gerens nivea surgebat  
mole columnae*

*Lip. VI, in fine*

(ll) *In FLORO, p. 226*

(mm) *Vt, in Fastis, p. I, sunt*

quaed ROMVLVM; T. TATIVM Sabinum: p. 2, quae ad NVMAM POMPILIVM, cet. pertinent

(nn) *Vt, inscriptio TVRCI ASTERICI, quae ad A. V. C. CCCLXXVII, refertur. Vid. eandem apud GRVTERVM, p. CCCCLXXVI*

monumentis: antiquius nullum esse, atque praestantius  
*neipinianos*, quam columnae rostratae basis. qua in re ci-  
**ACCONIVM, PIGHIVM, NORISIVM, (oo) LIPSIVM,**  
 et eos omnes, quibus contigit adire Romam, ipsaque mar-  
 mora lustrare, consentientes habeo. Iam, quum colu-  
 mnā rostrata ad **DVILIVM** triumphantem pertineat: eodem  
 etiam, quo triumphum egit imperator, anno, id est, A.  
 V. c. **ccccxciiii**, in foro esse collocata, videtur. At  
 enim vero, negotium hic **PETRVS CIACCONIUS** fa-  
 cessat: nam, persuadere sibi non potest, basin, quae Ro-  
 mae est, ad eamdem pertinere rostratam columnam, cu-  
 ius **QVINCTILIANVS, CICERO**, atque alii, mentionem  
 fecerunt: sed omnino spuriam eam esse, ac nouam, putat.  
 Et non sunt nullae, fateor, quibus suam sententiam mu-  
 nit, rationes: nam scriptus habitum, aetati, qua **DVILIVS**  
 vixit, minime conuenire sciscit; literarumque elegantiam  
 euincere, eam **DVILIO** esse recentiorem. At vero, id secus  
 esse, in numis, ante **DVILIVM** natum excusis, videre  
 est: nam in **ROMVLI**, vt hoc yfar, numo, nomen **QVI-**  
**RINVS**, admodum curate exscriptum est: in alio, **L' LI-**  
**TUR' SABINVS**. cet. Praeter haec, pro **MACISTRATVM**,  
**MAGESTRATVM**, ea fuisse aetate scribendum, **QVIN-**  
**CITILIANI** loco adducto, arguit. Sed tantum abeft, vt  
 id aliquo loco habendum sit; vt potius, si scriptum in co-  
 lumna rostrata fuerit: **MAGESTRATVM**, pro **MACISTRATVM**;  
 ego quidem negarem, eam ad **DVILII** aeuum  
 pertinere posse. Equis enim est, qui literae G figuram, a

T O M Y T Q U A N D U M I V (m)

(oo) In *Orthog.* p. 70. Mirum  
 autem videri poterat, eundem  
 p. 131, de **CAECILII METELLI**  
 inscriptione, quae apud **GRY-**  
**TERVM**, p. **XXXVIII**, n. 5,

habetur, scripsisse: *Haec e-*  
*minutum antiquissima inscriptio*  
*eſt. Quum tamen CAECI-*  
*LIVS METELLVS A. V. C.*  
*DCKCI oppetiit*

SPV-

SPURIO demum CARBILLO, qui Iudum Grammaticum Romae, circiter A. V. C. DXL habuit, fuisse repertam, ignorat? de quo argumento alio in loco dicam. Tandem etiam hoc carpit, quod X litera, eo in monumento deprehenditur: quam tamen ISIDORVS, usque ad AVGUSTI tempora, nondum apud Latinos fuisse, affirmet. Iste autem ISIDORI locus, ita videtur accipiens esse, ut quidam fuerint, qui pro ea, C, et S, literis, vni sint. Siquidem constat, quasdam literas, a quibusdam, esse repudiatas: (pp) nam, ante AVGUSTI aevum, X literam, a Romanis fuisse usurpatam: antiquissimo numo euinci potest. cui haec epigraphe est: M· FOSTVLVS SEX· PO· (qq) Item in Q· FABII numo, qui referendus ad A. V. C. CDXXCIIX, habetur: Q· MAX· Q· F· EX· S· C (rr)

Quid singulis in loqueliis, quas columnae rostratae basis exhibet, considerandum sit; et quo lacunae modo, resarciri apte possint: alio in scripto, Deo volente, ostendam. Nunc ad ipsam rem accedam. Sunt e iuuenibus nostris declamaturi hi, qui consequuntur:

JOH. RUDOLPH. ALBERTI, industrius iuuenis, panegyrica in oratione, MARTINVM BVCEVRM dexterum fuisse, atque consummari iudicij Theologum, vincet, et quidem Graecanica lingua

## PAVL.

(pp) Id NIGIDI exemplio comprobatur: de quo MARIVS VICTORINVS haec refert: NIGIDIUS FIGVLVS, in commentariis suis, nec K posuit, nec X. In art. Gram,

*Lib. I, cap. de Orthogr. p. 245<sup>6</sup>*  
(Ed. PVTSCHI)

(qq) In auerba eius parte legitur:

ROMVLO CONDITORI

GOLTZ. p. I

(rr) GOTZII in Fast. p. 84

PAVL. FRIDER. AVGUST. ALBERTI, *quid incommodi veterum Sophorum abusus habeat, in Platonica, quam vocant, trinitate, demonstrabit. lingua Latina*

10. CAROL. SPIES, de perfaciili atque expedita, addiscen-  
dae Latinitatis methodo, verba faciet. lingua Theo-  
tifica.

Vt itaque omnes, qui rei scholasticae fauent, quos omni obseruantia prosequimur, atque colimus, exaudire hos Literaturae alumnos declamantes velint, quam obseruantissime rogamus. Dab. Helmstadii, a. d. XXIIII Mart. A. I. S.

CHICAGO CIRCUIT LIBRARY

Shaw. Name he takes from Saccharum. Shaw a Londoner  
shanty. Shaw in London term soldier, shanty colonel for officer  
Shaw Londoner: old in London, Dee London, often  
Shaw Londoner, confederate fit; fit the London mode,  
Shaw Londoner, colonel in London, shanty colonel for officer

MVA 9

DD A 6427



WDA8

R



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



4n  
39

C H E D I V M  
D E  
N A R O S T R A T A  
V I L I M . F . C O S

Q V O  
O S E T F A V T O R E S  
V T  
A T I O N I B V S  
I O R . I X I N S C H O L A S E N A T O R I A

H A B E N D I S  
R O S V A H V M A N I T A T E V E L I N T  
C O N T E N T I O N E R O G A T

D V S N A H M M A C H E R  
E O P P I D A N A E H E L M S T A D I E N S I S E T  
I M A R I E V A L L ' S V B P R I O R

H E L M S T A D I  
O D R I M B O R N I A N O